EPITAPHIUM
Herois Illuſtriſsimi
ROBERTI
Comitis de *Warwick*.

INSCRIPTUM
Filio verè illuſtriſsimo
ROBERTO domino RICH,
Nec non ejuſdem nominis & prænominis
Tertio COMITI de WARWICK.

STe te paululum Lector,
ROBERTUS RICH
Comes de WARWICK
heic ſitus eſt.

Comes,& idem Dominus,
Dives, & idem *Bellicoſus*,
A gemino nomine geminum Symbolum
Fortunæ ferens & *Virtutis*.

Et utriuſque certè
Compendioſum fuit elogium,
Qui locupletiſſime
Virtutes titulis, & titulos virtutibus
Inſtauravit.

Ut in Otii Sudo feriaretur à negotii Turbido,
Seceſſit:
Ruri frequentiùs egit, admodum tamen erat urbanus;
Privatus plerumque vixit,
Nemo tamen popularior evaſit.
Scilicet ſecedentibus hoc Lucro eſt Heroibus,
Ut quò magis Domi latere velint,
Eò conſpectius ſuis Popularibus eluceſcant.

Publicis igitur Tempeſtatibus ingruentibus Angliæ,
Rebus maritimis Thalaſſiarcha præficitur;
Experta eſt diu pium Reſpublica *Patriotam*,
Dextrumque voluit experiri tandem *Palinurum*.

Sic Ille *Conſtans Warwickius Admirallus* audiit,
Ubi, non tantum Fortunæ, quantum famæ velificavit;
Et utramque tamen adeptus eſt.

Cœptis enim victricibus adeo venti volonès
aſpiraverunt,
Et cum populo Pelagus, & cum Pelago populus ita
reciprocabatur,
Ut mirere tot manibus unum præfuiſſe caput,
Aut tot capita potiùs uni morigerari manui.

Poſtremò verò poſtquam nubila nimboſque ſerenaſſet,
Et *Neptuni* Tridentem Britanniæ,
Britanniamque ſibi reddidiſſet,
Pace foras, Familiaque cum Prole domi ſtabilita,
Adorearum ſatur ac Dierum,

Circiter Septuageſimum ſecundum ſenectutis annum,
Inſtar manipuli ſegetis maturè ſucciſus eſt,
Ut ab angelis collectus, & aſportatus,
In Æternitatis horreo reconderetur. 195.